



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Cavssini Trecensis, E Societate Iesv, De Eloqventia
Sacra Et Hvmana Libri XVI**

Caussin, Nicolas

Coloniae Agrippinae, 1634

17. Gorgias Leontinus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70090)

Gorgias Leontinus.

CAPVT XVII.

Cicero in Brut 391.

De his Philoſ. in ſophiſta lib. 1.

Postquam intellectum est quantam vim haberet accurata, & quodammodo facta oratio, tum etiā magistri dicendi subiecti exiterūt, Leontinus Gorgias, Thrasymachus Chalcedonius, Protagoras Abderites, Prodicus. Chius, Hippias Elæus, in honore magno fuerūt, alijq; multi, temporibus iisdem docere se profitebatur, arrogantibus sane verbis, quemadmodum causa inferior (ita enim loquebantur) fieri superior pollet: sed inter ceteros præstitit Gorgias, cui tantus honos habitus est a tota Græcia, solum ut ex omnibus, Delphis non inaurata statua, sed aurea statureretur. Primus ausus est in conuentu poscere questionem, id est liberè dicere, qua de re, quis vellet audire: Tum con surgens inter mediōs, longè aliter, quam Homericus Ulysses effundebat *ἔπειτα νηφελῶς ἰσχυρὰ γὰρ κερῶν*. Et numerus quidem erat liberiore fluens, licentia, & genus orationis insignæ, fluens pectus, expellitur, omni lepore affluens, & (quod miris) in hac amœnitate neruolum. Ego illustrissimi ingenij fragmentum hic subiiciam, & latinitate donabo.

ΥΠΕΡ ΠΑΛΑΜΗΔΟΥΣ

ἀπολογία.

CAPVT XVIII.

Ημὴν κατηγορία, καὶ ἡ ἀπολογία κρίσις οὐ περὶ δαδῶν γίνεσθαι. δάνατον μὲν γὰρ ἢ οὐσίς, παρὲρ τῆ ψῆφου πᾶσαν κατηγορήσατο τῷ δαδῶν ἢ περὶ ἡμέρα ἐγένετο περὶ τῆς ἐκείνης, καὶ τῆς ἐμῆς ἐκινδυνώσας ἑσθαι, καὶ τότε δὲ μετὰ τὴν δικάσιμην ἀποδανῶν, ἢ μὲν ὄνειδῶν μεγίστων καὶ τῆς ἀσχίσης ἀπείρας βίας ἀποδανῶν.

Et cætera, quæ quia longiora sunt, iubens omitto, sensus tamen latinitate complectar. Non est quidē in hoc iudicio de morte tantum ferenda sententia, mortem enim omnibus natura proposuit, & nascentes suo calculo dānauit. Verum quod longè grauius est, de honore vel dedecore periclitor, utrum scilicet innocens moriar, an grauiſſimo dedecore, ob turpissimam causam affectus, violēta morte properantem spiritum excutiam. Quæ duæ res, etiam in causa sunt, vnam vos, alterā ego. in ma-

nibus habeo: Innocentia mea scilicet sum Dominus, vos violentia: præſtare possum, ut sim innocens, ut fraude circumuentum non perimam, facere non possum: si meus igitur accusator Ulysses, cū certo sciter Græciam a me barbaris proditam, huius accusarionis consilium susceperit: Næ vir optimus est qui patriam, parentes, & totam Græciam, vnius nocentis supplicio liberare contendit: si verò inuidia, fraude, maleficio, hæc in me conſtauit accusarionem, omnino deterritus est. Vnde igitur primum ordiar, vnde defensionis meæ sumam initium? Causa enim ita prouisa, stupore mentem confundit, stupor verò, quod necesse est, in opiam affertet orationis, nisi in veritate, & necessitate perſugium haberem doctoribus periculosis magis, quam copiosis. Quod igitur non certa de causa accusator me deferat, certo scio, nullius enim mihi conscius sum sceleris, & vnde quis, quod minime factum, ne cogitatum quidem est resciat non vido. Quod si ita se habere existimans, accusarionem aggressus est, primum ego duabus eum validissimis rationibus conuincam: neq; enim, si voluissim, se patrare potuissim, neque si potuissim, voluissim. Primum enim, proditorionis initium aliquod fieri oportuit, & id per colloquium: futurarum enim actionum index est oratio, quo pacto autem colloquium esset inter nos sine congressu: qui verò congressus esse potuit, cum nec ego ad illum uenerim, nec ipse quenquam ad me miserit, nec literæ sine tabellario vllō a nobis vterò, citroq; mitti potuerint. Sed finge congressum, finge etiā inter nos mutuum colloquium: quid deinde collocutus est Græcus cum barbaro: quomodo dicens, & audiens, an solus cum solo: sed nullū est nobis linguæ commercium: atqui factum est per interpretem: iam tertium nobis statuis indicem, eorum, quæ maximè occulta esse oportebat: sed esto, si factum fuerit, quod tamē est infictum, fidem dare, & accipere vicissim nos oportuit: & quænam ista fides: iusturandum dices? quis mihi proditori, vel iurato credidisset? at obsides dati, qui: fratrem vnum habeo, præterea neminem, &c. Genium habet hæc oratio: spirat enim cum neruis aliquid gratiarum, & tota est acris, florida, volubilis, ut ut non modo perſuadere, sed cum aucupio delectationis mouere possit.